



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

19. An sit licitum à Ministro excommuicato non solum tolerato; sed etiam  
à non tolerato ab Ecclesia, id est nominatim denunciato, vel manifesto  
percussore Clerici petere Sacramenta? Et an talis ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

riquez, quibus adde Ochagaviam *tr. de Sacrament. in genere, quest. 24. num. 5.* qui tamen hoc limitat, quando vitare commodè non potest ministerium illud, ut quia famulus expelletur à domo, vel quia causabitur scandalum, si Minister se excuset à ministrando: sed hæc ferè semper evenient: ergo, &c.

## RESOL XIX.

*An sit licitum à Ministro excommunicato non solum tolerato, sed etiam à non tolerato ab Ecclesia, id est nominatim denunciato, vel manifesto percussore Clerici, petere sacramenta?*

*Et an talis Minister, si in extrema necessitate ministrat Baptismum, & Pœnitentiam, peccet, & fiat irregularis?*

*Et quid, si talis Minister excommunicatus sit ab Ecclesia toleratus, & sit tuus Parochus?*

*Et quid est dicendum, si non est tuus Parochus, nec ad ministrandum paratus?*

*Et notatur licitum esse sine ulla necessitate petere Sacramentum à quovis excommunicato tolerato, dummodo non sit aliud impedimentum præter excommunicationem; nec peccare Ministrum istum, dum ad petitionem alterius ministrat, secus verò si ipse se invitaret. Ex part. 10. tr. 11. & Miscell. 1. Resolut. 64.*

Ref. hæc invenitur in tom. 2. tr. 3. Refol. 16.

§. 1. **E**A, quæ dicta sunt in superiori Resolutione, procedunt, ut dictum est, in ordine ad petenda sacramenta à malo Ministro, existenti scilicet in statu peccati mortalis. Sed quid dicendum de Ministro, excommunicato non solum tolerato, sed etiam non tolerato ab Ecclesia, id est, qui nominatim est denunciatus, vel manifestus percussor Clerici, ut nulla tergiversatione possit negari? Dico in casu extremæ necessitatis licet ab isto petere sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ. Ratio est, quia periculosissimum est sine his sacramentis ex hac vita discedere: unde non debuit ullus Minister aliquo modo idoneus in hoc articulo excludi. Hinc etiam fit, ut talis Minister neque peccet, (si talem, ut absolvat, contritionem concipiat) neque irregularitatem incurrat.

Sup. hoc in tom. 1. tr. 2. Refol. 60. signanter in §. 2. sed lege etiam §. 1. & supra in Refol. 15. §. 1. paulo ante finem à veris. Vnde non est.

2. Verùm difficultas est de sacramento Eucharistiæ per modum Viatici: & in tali casu non posse à dictis Ministris peti, docet Lessius in 3. part. questione 64. articulo 6. dub. 3. num. 15. & alij. Sed ego contrarium docui; & me citato novissimè docet Leandrus de Sacrament. tom. 2. tractat. 7. disputatione quarta, quest. 22. cum aliis. Imò non deseram hic observare cum Magistro Serra, in tertia parte, quest. 64. articulo 6. dub. 2. non desesse, qui dicant, si aliquis esset sibi conscius peccati mortalis, & non possent sibi alia sacramenta conferri, quam ea, de quibus recipiendis nullum est divinum præceptum; posse ea suscipere in extrema necessitate à Ministro non tolerato, ut possit per ea justificari, & fieri ex attrito contritus, si fortè solam attritionem habeat; credendum est enim id meritò placere Ecclesiæ, ut tali necessitati subveniatur. Et idem Hurtadus de Sacramentis in genere, disputatione quarta, difficultate 12. tenet, posse à dictis Excommunicatis accipi Sacramentum Extremæ-Uktionis, quando non potuit suscipi Sacramentum Pœnitentiæ, neque Eucharistiæ.

Sup. hoc in Refol. 2. not. præcedit in ejus §. ult. veri. Primus, & in aliis ejus not.

3. Sed quid dicendum, si Minister ille excommunicatus, sit ab Ecclesia toleratus, (id est, si non est denunciatus nominatim, aut manifestus Clerici percussor) & sit tuus Parochus? Potes ab eo liberè sacramenta petere, non solum tempore necessitatis, aut præcepti, sed etiam ob magnam utilitatem spiritalem: modò alterius Ministeri non sit tibi facilis copia: Ita Sotus, & alij passim. Ratio est, quia iste Minister quamdiu ab Ecclesia toleratur, non est tibi magis vitandus, quam si non esset excommunicatus. Unde si sit tuus Parochus, potes ab illo petere sacramenta, & etiam cum cogere administrare; nam habes jus petendi: ergo ipse potest tibi sine omni peccato administrare, si velit: nemo enim obligatur ad aliquam actionem, quam sine peccato nequit obire. Sufficit autem, ut in eo casu concipiat contritionem, & procuret absolutionem à Censura, si potest: quod si non potest, permittitur sacramenta administrare, nec contrahet irregularitatem. Secus, si facile poterat interim absolvi. Adverte tamen, talem Parochum non se posse offerre, aut ingerere; tunc enim graviter peccaret, & irregularis fieret. Ratio est, quia non potest administrare, nisi subdito petente, & urgente.

4. Petes, an possim ob hujusmodi causas etiam petere sacramenta ab eo, qui non est Parochus; tamen excommunicatus est, & toleratus? Respondendo, non posse me petere, nisi ipse interim possit obtinere absolutionem Censuræ, vel nisi sit extrema necessitas. Ratio est, quia non possum petere aliquid ab alio, quod ille sine peccato non potest mihi prestare. At ille Sacerdos non potest sine peccato sacramenta administrare, nisi excuset extrema necessitas, vel in potestate ejus sit interim obtinere absolutionem. Quidam tamen existimant, si iste Sacerdos sit expositus, actu Confessionis aliorum audiens, vel Eucharistiam administrans, posse me accedere; quia in hoc casu non censetur petere. Sed Lessius, ubi supra tenet contrarium, præsertim si agatur de Confessione, quia qui accedit confessurus, manifestè petit, & exigit sibi impendi absolutionem; unde intercedit hic saltem aliqua inductio, & petitio ad hunc actum individuum, qui est necessariò peccatum. Idem videtur de Communionem, etsi minor sit ratio.

5. Sed ego affirmativam sententiam puto esse probabilem, & fatetur ipsemet Lessius. Et tandem Granadus in 3. part. contr. 3. tract. 5. disput. ultim. num. 8. sic ait: Si Minister sit excommunicatus toleratus; sed non proprius Pastor, nec sit ad ministrandum paratus; non videtur, licere illum inducere ad præbenda sacramentà, in quibus exerceat Ordinem: quia sic fieret Minister irregularis; & qui petit, foret causa non solum peccati, sed etiam magnæ penæ Ecclesiasticæ, scilicet irregularitatis. In casu autem necessitatis extremæ, id est, in articulo mortis posset sine dubio inducere ministrandum, quantumvis non esset paratus; etiam extrà hunc articulum liceret petere, cum adesset magna aliqua utilitas; quia ipse Minister novit suum malum statum, & voluntariè denotat culpam & penam, quæ illi imminet, si ministrat. Ita ille, & ego.

6. Notandum verò, quod Sanchez, lib. 7. de Matrimonio, disput. 9. num. 8. latè probat, licitum esse sine ulla necessitate petere sacramenta à quovis excommunicato tolerato; dummodò non sit aliud impedimentum præter Excommunicationem; Ref. 17. &c.

Sup. hoc fit præ Ref. 16. §. Vnde à principio.

Sup. hoc in §. Verum, Ref. præcedit & in fine §. 1. hujus Ref. pro articulo mortis, & magis latè in to. 5. tr. 5. Ref. 28.

\* Sup. contento in hoc §. ult. lege supra doctrinam Resolut. 15. à principio usque ad §. ult. signanter prope finem §. 1. & §. Notandum, & signanter Ref. 17. &c. nec

nec peccare Ministrum istum dum ad petitionem alterius ministrat; secus si ipse se invitaret.

RESOL. XX.

*An licitum sit, & absque peccato mortali recipere Sacramentum Pœnitentiæ, vel alia à malo Ministro, sed parato ministrare? Et an hoc non solum ex rationabili & iusta causa, sed etiam extra casum necessitatis, dummodo Minister sit paratus? Ex part. 3. tractat. 4. Resolut. 59.*

**A**ffirmativam sententiam docet Ledesma in summa, tom. 1. cap. 6. de Sacramentis, in genere, dub. 11. conclus. 10. ubi sic ait: [Licitum est recipere los sacramentos del ministro, aunque sea muy malo, y descomulgado, si es tolerado de la Iglesia, y el por otra parte esta aparejado para administrar los sacramentos, porque es licito ular del pecado ageno para proprio como de utilidad, quando el peccador esta aparejado, como, se vee claramente en el usurero aparejado à dar à usuras, que es licito pedir le dineros à usuras. Esto se confirma, porque en este caso cessa la razon del escandalo, y no es induzir le à peccar, porque el se esta aparejado para esso: y aunque el tal quando actualmente administra, pecca mortalmente, el tal peccado y a lo tenia cometido como en virtude, pues esta aparejado para administrar los sacramentos.] Ita ille.

2. Sed hanc opinionem ita absolute prolatam non admittit alius Hispanus, & ideo sic asserit Villalobos in summa, tom. 1. tract. 4. diff. 15. n. 4. [Licitum est recipere los sacramentos del ministro, que esta en peccato mortal, y no es porque se esta aparejado para administrarle, aunque el ministro peccare en la administracion, mas ha se de limitar esta conclusio, que sea en caso de gran necessitate, porque si estuviere otro Confessor non feriat licito, porque se le da materia da peccar, y aunque dize Ledesma, que en este caso no feriat peccato mortal, es falso, pues la materia es grave.] Sic Villalobos.

3. His tamen non obstantibus, non reticemus circa presentem questionem hic apponere doctrinam prastantissimi Theologi Gregorij de Valentia tom. 4. disp. 3. q. 5. punct. 3. ubi ponit tres casus. Primus, si minister sit per se paratus, & habeat aliqui potestatem. Secundus, si tibi teneatur sacramentum conferre ex officio, quia est tuus Parochus. Tertius, si constitutus sis in necessitate. Et in quolibet istorum casuum docet, licitum esse, percipere sacramentum ab improbo ministro, servatis tamen duabus conditionibus. Prima est, ut minister non sit impeditus per censuram. Secunda, ut nunquam quis ab improbo ministro sic accipiat sacramentum ministrandum male. Concurrentibus igitur his duabus conditionibus, & aliquo ex predictis tribus casibus, semper licebit sacramentum recipere ab improbo ministro, atque etiam petere, dummodo animus tantum sit petere, & accipere ab altero id officium, & ministerium, quatenus ab illo exerceri possit sine peccato. Hæc omnia Valentia, qui cum Ledesma concordare videtur.

4. Notandum est etiam Cabreram in 3. part. de Sacram. q. 64. art. 6. disp. 2. §. 4. n. 10. docere, quod quando quis ex iusta, & rationabili causa petit sacramentum, posse illud petere à quocumque mini-

stro malo, dummodo sit paratus, & hoc extra casum necessitatis: unde n. 24. sic ait: Quando virtute alicujus Jubilæi, aut privilegij conceditur facultas eligendi Confessarium, & plures sedent ad audiendas confessiones, quorum unus, v.g. Petrus est concubinaris, tunc quamvis eligi possit alius Confessarius, vir probus, potest sine peccato eligi Petrus, qui si cæteris sit doctior, melius erit eum eligere, tametsi cæteris paribus, sit peccatum veniale Petrum eligere, sed nunquam erit mortale, nisi esset tam publicus peccator, ut confessio illi facta, esset scandalum allatura. Ita Cabrera, & post illum Carthægena de Sacram. disp. 7. cap. 3. ver. 3. Sed circa præsentem dubitationem præter DD. citatos, vide Coninch. de Sacram. q. 64. art. 8. dub. 5. Suar. in 3. p. tom. 3. disp. 8. sect. 2. & alios penes ipsos.

RESOL. XXI.

*An si quis sine necessitate petat administrationem à malo Ministro, peccet mortaliter, sive Sacerdos, sive Minister sit proprius suscipientis Parochus, sive non?*

*Et inferatur quale peccatum sit exigere juramentum ab Infideli, parato jurare per falsos Deos, necessitate, aut utilitate deficiente.*

*Idem est de petente mutuum ab usurario parato.*

*Et quid, si aliquis peteret mutuum à predicto usurario ad erogandum meretricibus? Ex p. 7. tr. 12. & Misc. 3. Ref. 33. alias 31.*

**N**on peccare mortaliter, sed tantum venialiter cum aliquibus Doctoribus alibi probabiliter adnotavi; sed quia postea rogatus sum, si alios DD. haberem, ut palam facerem, ideo nunc assero hanc sententiam tanquam probabilem etiam admittere lumen illud fulgentissimum inclitæ Academia Salmaticensis Valboa de Magrovecjo, tom. 2. inc. 26. de Iurejur. mun. 71. & seq. ubi sic asserit: Dubium autem est quale sit peccatum juramentum exigere ab infideli parato jurare per falsos Deos necessitate, aut utilitate deficiente. Hanc difficultatem explicant Doctores in simili casu petentis mutuum ab usurario parato sub usuris dare absque ulla iusta causa, dicentes talem petitionem esse peccatum mortale. Et moventur, nam preceptum charitatis, & fraternæ correctionis obligat quemlibet sub mortali ad vitandum mortale proximi, quando commode, & absque damno facere potest, ut advertit Sylvest. verb. usura 7. q. 1. Aragon. 2. 2. q. 89. art. 6. dub. 2. conclus. 3. ubi expressè de petitione juramenti ab infideli parato jurare per falsos Deos, Molina tom. 2. de iustitia & Iure, disp. 335. concl. 4.

2. Quæ sententia valde probabilis est, & puto etiam probabilem esse opinionem solam esse culpam venialem, nisi alias alia adit mortalis circumstantia, v. g. si peteretur mutuum ad erogandum meretricibus, quo casu ratione circumstantiæ erit mortale, & audeo dicere solum esse culpam venialem propter multorum Doctorum auctoritatem ita dicentium, sic Cajetan. 2. 2. quest. 78. artic. 4. & in verbo usura, cap. penult. Sotus lib. 6. de Iustitia, & Iure, quest. 1. artic. 5. dub. 1. Navarr. cap. 17. mun. 172. Ledesma tom. 2. summa, tract. 8. cap. 33. post conclusionem 29. lib. 2. Bannez 2. 2. a quest. 78. art. 4.

3. Et confirmari potest exemplo petentis sacramentum à malo ministro, de quo cognoscitur

Alibi in Ref. præterita, & supra in Ref. fol. 18. §. 1. & infra in tr. 3. Ref. 44. &c.

Sup. hac & seq. diff. in tom. 7. tr. 5. ex doctrina, Ref. 60. ante & post medium, verbi. Duct. & ibi ex doctrina Ref. 54. & 55. & pro juramento infidelis contentus in hoc textu in tom. 2. tr. 3. Ref. 16. §. 2. post medium, verbi. Licitum est.